



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Tribus præcipue fruitur solatijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

Obseruantissimus semper extitit suorum Superiorum, in quibus, vt pote Dei Vicarijs, diuinam auctoritatem reuerebatur; quos nus-  
Quæ eius  
reuerentia  
in Superio-  
res.

quam, nisi iuberetur, operto alloqui capite sustinebat: quorum non solum mandata, sed & iudicia comprobabat; quibus denique domesticorum omnium animos ita conciliare nitebatur, ut æquali amore reuerentia que aduersus eos ferrentur, ijsque pari fiduciâ, sine fuko, verborumque inuolucris, mentis etiam patefacerent adyta. quâ de re sic in hæc verba scripsit: *Apud Superiores meos & Patres spirituales esse conabor candidus totus & sincerus, & veluti aqua purissima.* Neque solum non sensit ullam vñquam ab aliquo Superiorum animi abalienationem, sed neque cogitando sibi in mentem venisse ullius auersionis, aut ab ullo Superiorum, aut eorum præceptis, aut iudicijs & opinione indicauit, tanti eorum faciebat auctoritatem.

Trium mihi rerum rationem hebdomadis singulis constantissimè reddebat; an silentij leges obseruasset; an de rebus sacris sermonem instituisset; an propositorum inter orandum factorum tenax fuisset. Tria sibi esse solatio præ ceteris in vitâ, dicebat; primum, castitatis illibatae florem abs se esse perpetuò conseruatum; alterum, numquam deliberatâ voluntate commissam abs se

vñlam

Trium re-  
rum ratio-  
nem reddit  
quibusque  
hebdoma-  
dis.

Tribus præ-  
cipue frui-  
tar solatiis.

villam venialem culpam: postremum, potuisse se semper de internis animi sui rebus cum Superiore, tamquam cum ipso Deo, tractare.

Quotiescumque, religionis ergo, poenam aliquam decerni sibi à Superiore petebat, supplicem se cuiuscumque Superioris genibus aduoluebat. Numquam defugiebat vilius rei sibi impositæ administrationem, sed absque omni recusatione suscipiebat. Iussus ministrare Sacro Sacerdotis cuiusdam, qui benè diu faciebat, & incommodâ studiosis horâ, pluribus id mensibus egit, nihil umquam questus. Alias ægro in ministrum datum, qui Sacris incertâ, pro valetudine, horâ operabatur, cum ædituus se molestiam illius dolere diceret, At mihi, inquit, numquam molestum est ministrare Sacris. Quoties ad Ædem Iesu seu sollemnis seu priuati Sacri caussâ mittebatur, ingrediendo egrediendoque Sacrarium, breuem semper orationem genibus fundebat flexis; ac si remanendum diutius foret, in angulum Sacrarij silentio se recipiebat, voluebatque aut Rosarij sphaeras, aut libellum suum sacrum, aut Psalmos tacitus recitabat.

Cum in Professorum Domum quempiam comitatum mittebatur, ex eo sciscitari solebat, multine temporis res esset quam tractandam haberet: illique se tempori aptans, tantis-

*Obedientia  
quantæ.*

*P. Ioannes  
Baptista  
Ferrati.*

*Marcus  
Anton.  
Doria.*